

dem aliquot ramulos, hinc inde, tum ipsi substantiae membranae *mesenterii* largiuntur, tum ad intestina omnia reliquas copiosas propagines distribuunt. Ubi quidem non minus in *homine*, quam *brutis*, notabilis est insignis illa *arcuata* structura, qua plures numero huiusmodi propagines, ab *intestinis* redeuntes, versus *centrum* mesenterii in angustius spatium coeuntes, ad dictos illos *maiores* ramos colliguntur, simulque *mechanica* pulchra dispositione, ex amplo *circuitu*, ita commode in arctam *centralem* collectionem revertuntur: pulchra hic etiam, ut in aliis, structurae corporeae partibus, *mechanismi* simplicitate.

*Extremitates* horum vasorum disseminantur copiosissimis ramulis in tunicam intestinorum mediam, tenacem, membranofam, quae vulgo *nervea* dicitur: & incurrit in nudum etiam oculum numerosissima illorum in has partes divaricatio: ingrediuntur vero maiusculi illi rami, e quibus hi minores propullulant, inter fibras tunicarum externarum *carnosarum*: unde etiam *constrictis* magis intestinis, adeoque *tensis* hisce *carnosis* fibris, liber *transitus* sanguinis eo ipso sensibiliber sufflamatur.

*Splenicus* venae portae ramus procedit e *dextro* latere, nempe e medio fere *hepatis*, versus *sinistrum*, ad *splenem*, accumbendo per transversum ipsi *posticae* parti *ventriculi*, & attingendo superiorem limbum *omenti*, ad quod etiam in hoc loco non paucos ramulos, in *brutis* praecipue, protendit.

Ramus eius bene capax, qui per *duodeni* maximam partem excurrit, serpit inter huius *superficiem*, & *pancreas* illi accumbens, ita, ut ramificationes illae copiosae, quae uno latere ad *duodenum*, altero ad *pancreas* distribuuntur, ipso suo nexu haec duo viscera coniungant.

Ramificationes Venae portae, quae in *hepar* distribuuntur.

B

buun.